



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

em non sicut ille, sed in donis creatis, inquit, nullum est maius charitate. Hic uero gratiam dei, & gratiam papae, in unius uocabuli Chaos confudit, dignus author tali uel opinione, uel errore.

Sequitur in eodem libro.

Per quam etiam peccatorum remissionem, sibi, poenae in purgatorio propter offensam diuinæ maiestatis, luendae, plenissime remittunt, atque dicti purgatorii poenae, omnino delent. Delphicum autem diuinus oraculum, ut nihil omnino dubitat, qui omnia ignorat, de potestate clauium in purgatorium secure pronuntiat. Sed satis de his supra

Sequitur ibidem.

Et licet ad tantam gratiam merendam, nihil satis dignum possit retribui, eo quod donum dei & gratia aestimationem non habent &c. Vides ut iterum donum & gratia dei inestimabile uocet, id quod papa remittit, homo dignissimus, qui ecclesias doceat, id est, haereticorum prostibula. Postquam his uerbis gratiam illam ad forum & nudinas studiose adornarat, mox tamen Mercurium suum habitu Iouis uestit ne ullus intelligat, quod lucrum quaereret, nisi qui non plusquam ipse intelligit. Permittit pauperibus quoque eam gratis dari, ita sane, si primum undecumque pecunias corradere tentauerint a bonis (ut inquit) fautoribus, ita ut mendicantes fratres sine licentia superiorum pecuniam procurent (qua multo melior est apud hunc pseudolum remissio uel fictae poenae, quam salutaris obedientia) Cum uero nusquam patuerit uia corradendi pecunias, ut gratiam illam redimant (id est, denuo emant, non quod illi uendant, sed quod nimia rerum similitudo cogit uocabulis abuti) tum demum dicit, Regnum enim caelorum non plus diuitibus patere debet, quam pauperibus. Iterum per uenias uolens patere caelum. Sed subtraham calaminum, ne pro meritis in eos debacchetur. Sit satis indicasse fidelibus, pestilentiam eorum sermonum tam insigni (ut par erat) inuolutam inscitiae & ruditati, ut dignum esset operculum uasae.

CONCLUSIO XXXIII.

Gratiae enim illae ueniales respiciunt tantum poenas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas.

Haec abunde patet ex quinta supra, & uicesima.

CONCLUSIO XXXV.

Non Christiana praedicant, qui docent, quod redemptur

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

ris animas uel confessionalia non sit necessaria contritio.

OBSECO, cur ista dilationem dant hoibus in periculū:
Et quid prodest illis talia predicari, nisi quod pecunia quaeritur
& non salus animarū, etiā si essent uera: nunc cū sint & impia &
falsa, multo magis sunt explodenda. Sane & ego superius permi-
si, posse pœnas remitti, etiā ijs, qui nō sunt cōtriti, quod illi ne-
gant. Hic rursū, quod illi affirmant, negandū puto. Atq; de cō-
fessionalibus quidem, idem mihi, quod de pœnis iudiciū est, sci-
licet, utrobique nō requiri contritionē, neq; quo ad redemptionē
eorū, quod negant, neq; quo ad usum, similiter & in pœnis re-
mittendis. Quandoquidē pars cōfessionalis, est remissio pœnæ
Sed in redimendis animabus omnino dissentio, & peto ut pro-
bent dicta sua. Ego quidē in redimendis animabus longe aliud
uideri puto, q̄ in remissione pœnarū. Siquidē in remissionibus
pœnæ, homo recipit bonū, sed in redimendis animabus facit bo-
nū. At impius recipere bonū potest, sed nullo modo facere. nec
potest placere opus eius deo, qui ipse non placet, ut Gen. iij. Re-
spexit dñs ad Abel, & ad munera eius. Deinde cōtra scripturā est
ut quis primo alteri misereat, q̄ animæ suæ, & prius festucā de
oculo fratris eiciat, q̄ trabē de suo. atq; oīno ut seruus diaboli re-
dimat filiā dei. & hoc apud ipsum deum ridiculū est, ut hostis p̄
amico regis intercedat. Quis rogo furor hic est: qui (ut uilissime
pœnæ remissionē, & ad salutem inutile magnificēt) peccata, q̄
rum pœnitentia sola fuerat magnificāda, extenuat. Si hoc nunc
est hæreticū, malesonās, scandalosum, piarū auriū offensiuū, qd
tandē est, quod his nouū portētis appellari possit: An his titulis,
HAERETICAE PRAUITATIS INQUISITORES, ideo catholicos, catholicasq; sententias uexant, atque fati-
gant, quo liceat eis solis impune & pro libito hæreses inundari:
Dicunt aut, quod redemptio illa nō innititur operi redimen-
tis, sed merito redimēdi. Respondeo, Quis hoc dixit: unde pro-
batur: Cur ergo nō sine opere redimentis, merito redimendus
proprio liberatur: sed nō tunc cresceret pecunia, cupita propter
salutem animarū. Cur ergo non inuocamus Turcas, & Iudæos
ut nobiscum etiam suas pecunias imponant, nō propter nostrā
auaritiā, sed propter redemptionē animarū: Nec obstare uis-
detur, quod illi nō sunt baptizati, quando hic non est opus, nisi

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

pecunia dantis, nequaquam anima pereuntis, non enim illa datio in-
nititur, nisi redimendae animae. Credo quod si uel asinus impo-
neret aurum, etiam redimeret, quod si requiritur aliqua disposi-
tio, necessario & gratia, cum Christianus peccator magis displi-
ceat deo quam ullus infidelis, nec tantum dedecorat asinum ru-
dibilitas, quam Christianum impietas. Secundo, dixi confessiona-
lia quidem peccatoribus, sicut & remissiones poenarum dari posse.
Sed non dixi, ut hortandi, immo nec permittendi sint talia re-
dimere, sicut ipsi impie & crudeliter docent, quod probo.

Primo, Omnis doctrina Christi est exhortatio ad poenitentiam
& id agit, ut homines quamocius a diabolo recedant, sicut ait Ec-
clesiast. Ne tardes conuerti ad dominum. Et ipse dominus. Vigila
te, quia nescitis diem neque horam. Et Paulus, Festinemus ingredi
in requiem illam. Et Petrus, Cum ergo haec omnia consumanda
sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietati-
bus properantes in aduentum diei &c. Sed haec ideo illi docue-
runt, quia solliciti erant, non quomodo pecunias colligerent, sed
animas saluarent. Hij uero uelut secure illis tribuunt miseram di-
lacionem, & quantum in eis est, in periculo aeternae mortis relin-
quunt, ita ut nesciam an tali studio sint ab homicidijs animarum
excusati, quippe non quaeritur hic salus dantis, sed donum pere-
untis, cum, si essent boni pastores animarum, & uere Christiani
omnibus studijs agerent, ut peccatorem ad timorem dei, & hor-
rorem peccati inducerent, nec quiescerent flendo, orando, mo-
nendo, increpando, donec animam fratris lucrifacerent, quod si il-
le pergeret pecuniam dare, perseueraturus malus, in faciem ei re-
ijcerent, & cum Apostolo dicerent, Non quaero tua, sed te. Et iter-
um, Pecunia tua tecum in perditionem. & abhorrent a con-
spectu eius. Sic sic recte agerent, sed absit hoc a Mercurio nostro.
quin id potius agamus, si uenerint peccatores, mediatoribus in-
doneis freti (.i. lucris) etiam inuito Christo cum uniuersis apostolis,
sint sicut unus ex nobis, nihil non potentes, quod nos possumus,
etiam animas redimere ipse sine intermissione pereuntes, etiam ridenti-
bus nobis, & de dono eorum secure gaudetibus. Ista est charitas in
populum Christi, & fratres nostros. ita curamus animas eorum ut intel-
ligat in suis peccatis, nos nouissimam. i. nullam compassionem habere.

CONCLUSIO XXXVI.